

8.36.12

*Imp. Iulianus A. ad Iulianum comitem Orientis.*

Si quis advocatus inter exordia litis praetermissam dilatoriam praescriptionem postea voluerit exercere et ab huiusmodi opitulatione submotus, nihilo minus perseveret atque praeposterae defensioni institerit, unius librae auri condemnatione multetur.

*D. VII id. Mart. Antiochiae Iuliano A. IIII et Sallustio cons.*

[a. 363]

8.36.13

*Impp. Honorius et Theodosius AA. Symmacho proconsuli Africae.*

Praescriptiones fori in principio, a litigatoribus opponendas esse legum decrevit auctoritas.

*D. V k. Sept. Ravennae Honorio X et Theodosio VI AA. cons.*

[a. 415]